

Franckesche Stiftungen zu Halle

Dissertatio Inavguralis De Didaskalioprepeia In Ministerio Ecclesiastico Observanda

Haferung, Johann Caspar

VVittebergae, [1726?]

VD18 90821157

Sectio II. Porismatica.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and further information please contact the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

SECTIO II. PORISMATICA.

PORISMA I.

Falsa doctrina & morbida in se est, & pestilens instar luis serpit & graffatur.

Oppositorum opposita est ratio, opposita efficacia. Si vera doctrina est sana in se & sanat; falsa contrarias habebit qualitates & effectiones. Sana instar fermenti est, quod massæ farinæ insertum, totam pervadit & fermentat. Nam ita sana doctrina, si fideli corde recipiatur & asservetur, non tantum hunc hominem subigit & sanctificat. Joh. XVII. 17. Sed & impellit & instigat, ut ejusdem & alios reddat participes. Est instar pluviae aut roris, qui cœlo effusi, & a terra recepti, eam humectant, & fœcundant, ut protrudat flores & semina, quæ nobis in alimentum cedant. Eſ. LV. 10. II. Ita sana doctrina, pluvia illa cœlestis, arida hominum pectora humectat & fœcundat, ut exuberare possint in omne bonum opus. Tit. II. 14. Contra falsa doctrina est ὡς γάγγραινα, νόμον ἔχοσα, instar gangrænae, quæ pastum habet, ut Apostolus eleganter loquitur. II. Tim. II. 17. Gangræna, quæ non abs re opprobrium Medicorum dici posset, : quia nulla arte sanabilis est, non cessat, usque dum vitales partes peredat, & hominem morti tradat. Ita falsa doctrina latius se diffundit, neque contenta, paucos occupasse animos, paulatim plures invadit, & inescat; Unde, qui ipsa correpti sunt, νοσεῦτες appellantur. I. Tim. VI. 4. qui non ipſi tantum laborant; sed & alios eodem contagio inficiunt. Exercet vero νόμον istam, dum primo intellectum vitiat & obtenebrat, ut nubem pro Junone, mendacium pro veritate amplexus, voluntatem præcipiter; & postmodum omnia membra lethifero furore ineberiet. Habet enim ortum a cacodæmone, Spiritu & potente & astuto, qui nunquam feriatur I. Petr. V. 8. Et tanto facilius locum in hominum animabūs invenit, quia ipsæ per naturam mendacii semina fovent, & veritatem horrent. Unde infaustum

infaustum illud & famosum in Historia Ecclesiastica Ariano-
rum nomen, quia hæresis ista ita celeriter magnam orbis
partem peragrabat, ut mundus non satis mirari posset, se op-
pinione citius Arianum factum. Merito itaque Paulus falsam
doctrinam fascinum dicit Gal. III. 1. quia per eam, tanquam
per magicam quandam vim, afflatæ mentes, subiguntur, τὴν
ἀληθίαν μὴ πείθεσθαι.

PORISMA II.

Ministri verbi est, non auditores tantum suos
circumspicere, sed & alijs Doctoribus, & sibi præ-
fertim diligenter attendere.

Id enim τὸ λαλεῖν, ἀπρέπει τῇ ὑγιαινότητι διδασκαλίᾳ; &
illud, σὺ δὲ, satis luculenter evincit. Siquidem, qui vo-
ce & vita loquitur, quæ digna sunt doctrina, quam incul-
cat, qui potest, quin ad alios respectet, anne & ipsi doctrinæ
fructum ferant? Et qui se ab aliis diversum esse novit, & me-
minit, quidni caveat, ne eorum similis evadat? Spectet au-
tem alios Doctores, anne sibi eos habeat συζύγος, an vero
ἐτεροζυγίντας αὐτίσις? Id enim opus est, si cavere voluerit,
ne furtim errores pro sana doctrina supponantur; & conta-
giosa vitiorum scabies gregem occupet. Cumque teneatur
eosdem, tanquani luxata membra, πνεύματι προχότητος κα-
ταπτ. *Gal. VI. 1.* quo pacto has partes explebit, nisi eos ob-
servabit sedulo? Auditores vero tanto attentius lustret, quia
ipsi sunt κλῆρος ejus *I. Petr. V. 5.* & quasi peculium, quod for-
te obtigit, ut pascat. Pascat autem ὑγιαινότητι διδασκαλίᾳ, &
ad vitae rationem, veritate coelesti dignam, adsudefaciat; Mores
autem δυσπεπεις dedoceat, ne more Cretenium, notitiam
Dei dictis quidem jacent, factis autem negent. Ad seipsum
autem dum redit Minister verbi, & in se descendit, a semet-
ipso διδασκαλιοπρεπεῖς illud primo omnium requirat. Sitne
firma fiducia in illam doctrinam, & an vita respondeat con-
fessioni?

fessioni? Qua in parte si sibi meti ipsi adulabitur & nævios suos
levi tantum perstringet brachio, quid lucri feret, nisi ut olim
cum ignominia protrahatur, παρελογισάμενος ἑαυτόν? Jac. I. 22.

PORISMA III.

Non sufficit, doctrinam de justificatione recte
monstrasse, sed & morum doctrina indefesse incul-
cetur.

Utrumque enim ad salutarem illam doctrinam, quam
Paulus commendat, pertinet. Utraque illud nomen
meretur; Illa formaliter & per se, quia salutem offert
& confert; Hæc παιδαγωγικῶς, quæ instar severæ tristisque
magistræ nos observat Gal. III. 24. et compellit, ut, cum
ipsa adversus vulnera nostra, quæ detexit, medicinam non pol-
licetur, alibi eam quæramus. Ita per naturam segnes & tardi
ad appetendam salutem, periculi metu, quem lex incutit, ex-
citamus. Non fecus atque filius αὐτολαζος non ante ad fru-
gem redibat, & ad patris benevolentiam revertebatur, quam
extrema inopia compulsus. Ita & nos, nisi conspecta sum-
ma necessitate, ignavi essemus ad quærendam gratiam. Post-
quam autem cor humiliatum, & supplicii formidine fractum,
expavescit, tum vero decet οὐγιανθος διδασκαλία, quae salu-
tarem suam vim exerceat, & metu juxta atque poena liberet.
Denique qui conversus est semel, & degustavit bonum Dei
verbum & venturi seculi virtutes Ebr. VI. 5, eum decet iden-
tidem respicere ad legem, juxta autem Evangelii dulcedinem
meditari, ut illinc territus, hinc invitatus, Christo diligenter
inhaereat. Imo cum ipse sequendus sit in novitate vita Rom.
VI. 4. tanquam viva lex, & purissimum divinæ sanctitatis spe-
culum, etiam respectu ad legem opus est, ad quam ille nos
amandat, ut gratitudinem nostram obsequio filiali testemur.
Ideo enim ποιημα τῷ Θεῷ κανονι sumus, ut sanctitatem am-
plexamur & sectemur; Ideo etiam απέθανεν ὁ χριστὸς ὑπὲρ
πάντων, ἵνα ὁ ζωτικός μηκέτι ἑαυτοῖς ζῶσιν, ἀλλὰ τῷ ὑπὲρ αὐτῶν
αποθα-

αποθανότι καὶ ἐγερθέντι. II. Cor. V. 15. Et quorsum novæ vi-
res, περιεγένεται διδοσματίαν, conferuntur, nisi velimus
uti? Qui post impetratañ sanitatem petulanter sibi morbum
denuo attrahit, medicum ludibrio habet; Et qui post justifi-
cationem peccatis delectatur, Christum, pro tanto beneficio,
contumelia afficit. Ita lex & Evangelium pariter, diversa sci-
cet ratione, & imparibus viribus, salutem nostram intendunt;
Neque alterum alteri adversatur. Sed alterius sic Altera poscit
opem res & conspirat amice.

PORISMA IV.

Immorigeri προσωποληπτώς a Ministro Ec-
clesiae corripiendi & corrigendi sunt.

Inconveniens est, εν προσωποληψίαις ἔχεν τὴν πίστιν τὸ κυ-
ρία ἡμῶν ἵνος χριστό. Jac. II. 1. Idem enim ἀργέων est,
omnium erga sanam doctrinam; Eadem vis Iuſus doctrinæ
erga omnes. Eodem omnes morbo & indigentia laboramus
per naturam, υἱερέμενοι τῆς δόξης, τὸ θεός. Rom. III. 23. Ma-
gna quidem in eo est auditorum diversitas, dum quidam ob-
temperant, quidam vero frena mordent & reluctantur. Utri-
que pariter castigatione opus habent, sed postremi duriore.
Quidam peccatores fama tantum innotuerunt, quidam vero
etiam facie noti. Hi corripi possunt & tentari, sigillatim &
privatim; illorum peccata publice coarguenda. Quorundam
peccata in publicum evaserunt scandalum, quorundam vero
paucis adhuc, præter autorem, nocuerunt. Illa non publice
tantum corrigenda, ut & alii metuant. I. Tim. V. 20. Sed &
illi, qui designarunt, adigendi, ut damnum, disciplina Eccle-
siasticæ illatum, sarciant. Quidam in eminentia constituti,
quidam de viliori plebe. Utrique indigent & lege & Evange-
lio. Sed ne, dum Principum vitia castigantur, eorum officium
proculari videatur, tanto optis est. Suavius influit veritas,
si veniat cum amoris significatione. Nathan Davidem reve-

reenter adibat, & amara veritate sub apolojo propinata, eo adducebat, ut agnosceret peccatum & serio doleret. II. Sam. XII. 1. seqq. Alii autem, quasi robustiore stomacho, duriorum cibum ferunt. Nempe, ut ὑγιαντοι διδασκαλια omnibus accommoda est, ita, quomodo & quando illa hic & nunc applicari debeat, διδασκαλοπεπτες illud, de quo agimus, edoceat. Nunquam autem non cogitandum, tam immisericordem esse, qui nimia lenitate perdit; quam qui nimia severitate: uterque enim perdit.

PORISMA V.

Ut hypocrisis omnis, ita multo magis aperta flagitia verbi divini ministro fugienda sunt.

Hypocrisis duplex est; alia in verbis solis, alia in verbis & factis simul. Illa simplex tantum, quia solis verbis pietatem & veritatem praefert, factis autem aperte negat: Impudentia tamen majoris, quia, quod factis ipsis secus testatur, alios persuasura est. Hæc autem, quæ verbis & factis simul verum bonumque praefert, in publicum minus noxia. Ultraque Præcone est indignissima: Si enim ita simulet pietatem, ut tamen tota ejus vita loquatur impietatem, qua fronte, qua spe cum Paulo dicit: Συμμητοι μη γίνεσθε, καὶ σκοπεῖτε τὰς ἄτικα περιπατήντας, καὶ θάς ἔχετε τυπον ἡμῶν. Phil. III. 17. Sin autem ita simulet pietatem, ita tegat animum sub vulpe latentem, ut nusquam ulla fraus appareat, non tamen ἔκδικον ὅμιλα θεῖ, quod Hesiodus vereri juber, celare quicquam potest. Illud autem foedissimum & ἀπρεπέστατον τῇ ὑγιαντοι διδασκαλιᾳ est, si, qui aliis viam salutis monstrat, ipse in aviis erret: Manifestus eorum, quæ ipse struxerat, destructor. At hoc pacto officium ipsum, quod Deus reverendum esse voluerat, turpiter datur, & hostibus veritatis ansa porrigitur, veritatem ipsam suggillandi: Sic enim Apostolus Rom. II. 23. 24. ὅς ἐν νόμῳ καυχᾶσθαι, διὰ τῆς παραβάσεως τῇ νόμῳ τὸν Θεὸν αἰτιάζει; τὸ γὰρ ὄνομα τῷ Θεῷ διὰ ὑμᾶς θλασθυμεῖται.

PORISMA

PORISMA VI.

Sanctitatis studium ex sana doctrina, fide apprehensa, necessario fluit.

Si enim doctrina hæc est ὑγιαίνσα, non eo tantum sensu, quod in se integra & incorrupta; sed eo etiam, quod sanitatem mentis & voluntatis præstet; quomodo fieri potest, ut vere apprehendatur, neque tamen sanctitatis studium sequatur? Si medicina sit in se bona, & ad morbum, quo æger laborat, proportionem habeat, nihil ad sanitatem reparandam restat, nisi, ut medicina hauriatur & venis recipiatur. Doctrina cœlestis est δύναμις τὸς θεοῦ εἰς σωτηρίαν πάντι τῷ πιστεύοντι. Rom. I. 16. Si proinde mente & voluntate recipiatur, quomodo non sequetur sanitas & incolumnitas animæ. Est autem fides nihil aliud, quam receptio aut apprehensio sanæ doctrinæ, & quasi σύγκρασις quædam cum λόγῳ Ebr. IV. 2. Quæ ubi contingit, necesse est, salutarem fructum consequi; præcipue, cum eum in finem Deus dederit verbum, ut in ipso operetur, quem impossibile est, scopum suum non diligentissime intendere. Sequitur autem ex illa πρᾶξει fidei & salutaris doctrinæ studium sanctitatis necessario, necessitate scilicet interna, sicut facultates animæ ex ipsa anima, & splendor a sole non potest non promanare. Neque ratiō id fit contra aut præter voluntatem hominis liberam; sed potius ex libera ejus electione. Sentit enim homo regenitus per Dei gratiam suam ἡργα Deum obligationem, eamque libens amplectitur, συνηδόμενος τῷ νόμῳ τὸς θεοῦ, κατὰ τὸν ἕστω ἀρθρωπον. Rom. VII. 22. Tantum observandum discrimen est inter studium, quod dixi, sanctitatis, & sanctitatem externam. Vel, si mavis, inter studium hoc, & ejus fructus externos. Ipsum sanctitatis studium, & actus interni ejus, a fide separari nequeunt, utpote cuius indoles est, ἐνεργεῖσθαι διὰ τῆς ἀγάπης, Gal. V. 6. Fructus autem externi sæpenumero suspenduntur. Neque minus discrimen ingens est inter studium hoc sanctitatis & ejus sensum. Ut homo sanus, cum dormit, nullam valetudinis jaçutram facit, et si sanitatem suam non sentit, ita frequenter evenit, ut fidelis studium sanctitatis continuet, neque tamen id sentiat.

PÓRISMA VII.

Fidem absque pietate pónere, est ignem sine calore & splendore comminisci.

Fluit hoc ex priori. Ut salutarem doctrinam sequitur pietas, non alio pacto, nisi fide illa apprehendatur; Ita fidem sequitur pietas non aliam ob causam¹, quam quia fides τὴν ὑγιαντὸν διδασκαλίαν apprehendit & sibi intime univit. Sicut ignis per internam indolem suam ejaculatur calorem, ita fides, eo quod fides est, producit pietatem. Recte B. Koenigius Theol. Pos. P. III. §. 908. *Quoad influxum in productionem bonorum operarum habet se fides ad analogiam forme ad sua propria, quorum causa per emanationem ipsa est.* Quid potest significantius? Nunquam & nusquam est forma, neque esse potest, quin ipsam stipent sua propria. Sanctitas & pietas, si non actu secundo, primo tamen, est fidei proprium quarti modi, quod competit uni, soli & semper. Πρέπει τῇ ὑγιαντὸν διδασκαλίᾳ, non ut decorum aliquod, licitum tantum, & nostrae libertati relictum, sed ut necessarium & debitum. Contumelia afficit ὑγιαντὸν διδασκαλίαν, qui de ea gloriat, id est, fidem jactat, & tamen impie vivit. Θμολογεῖ, εἰδέναι θεόν, τοὺς δὲ ἔργους αὐτούς. Tit. I. 16. Clariora sunt Jacobi verba c. II. 17. quam ut negari, vel cludi queant: οὐ πίστις, εἰς μὴ λέγει ἔχει, νερόπει εἴσι καὶ οὐτινός: fides, nisi opera habuerit, mortua est in semetipsa. Non sunt opera fidei vita; sed ejus vita individui comites, & fructus inseparabiles. Quo asserto, qui dixerit, confundi fidem & pietatem, & opera in justificationis articulum inferri, eum oportet peponem pro cerebro haberet. Sciat enim diversissimos esse articulos, doctrinalem & temporis. Qui ait eodem temporis articulo existere justificationem & pietatem, quod B. Koenigius P. III. Theol. Pos. §. 577. Facit, verum dicit; qui inde arguit, inferri articulo doctrinali de Justificatione, stupidum errorem errat. Diversissima est ratio justificationis fidei, & justificationis Dei, neque, quod frequenter fit, confundi debet. Fides, quae justificat, est ἐνεργεύσασθαι, adeoque ad minimum prægnans & foeta bonis fructibus; Etsi non opera, quae fidem comitantur, sed fides sola justificet, seu justitiam Christi recipiat: Atque hæc est justificatio fidei, quam non reprobatur simul stare cum sanctificatione; cum non repugnet, simul stare cum peccatis. Rom. VII. 25. Justificatio autem Dei est

est actus judicialis, quo homo fidelis justus reputatur, non aliam ob causam, quam quia fidei justitiam Christi tenet. Quam dum Deus intuetur, quis negabit, simul videre studium pietatis, qui videat omnia? Joh. XXI. 17. Sed eo non movetur, quia eo desiderium sanctitatis, quam ab hominibus requirit, non expletur. Diversissima sunt, simul existere, & simul operari, aut concurrere ad eundem effectum. Fides & pietas non possunt se jungi; sed necessario coexistunt; non tamen cofluunt in justificationem. Imo ne possunt quidem, quia justificatio non nisi per receptionem fieri potest; opera autem pietatis non receptive aut passive, sed active se habent. Si autem in continuata justificatione bona opera non obstant, neque in prima obesse poterunt, utpote quae Dei nec velit neque possit in hoc negotio admittere, cum nullam dignitatem, aut valorem hic habere possint. Diversissima sunt, simultaneitas temporis & naturae: Tempore simul sunt fides justificans & sanctificans; seu, quod eodem recidit, justificatio & sanctificatio; Non tamen simul natura: cum prius recipienda sit gratia, quam per eam fiat operatio. Id itaque πρέπει τῇ ὄγιανθοι διδασκαλίᾳ, ut & justitiam nobis afferat, & vires nostras seu facultates sanet, alioqui parum esset ὄγιανθος; Et, ut nos agnoscamus & prædicemus utramque ejus efficaciam: Nam qui agnoscit & prædicat quidem vim ejus justificam, vim tamen sanctificam, ejus vel secernit, vel suspendit, parum reverenter eam habet.

PORISMA IIX.

Doctrina salutaris fortis & magnanimos facit.

Innuuit Paulus, dum ait: Σὺ δὲ λάλει! Nihil scilicet formidans vel τὰς ἐκ περιτομῆς, vel Cretenses: Illi ζῆλω, αἱλός καὶ ἐπίγρωσι, correpti, ritus Ceremoniales, qui ex consilio Dei cessare debent, conservatum eunt; Hi cultum idololatricum, Diabolicum ἔνεγκα, stabilitum eunt; veri Demetrii, metuentes τὴν εργασίαν αὐτῶν. Act. XIX. 27. Sed utrique θεουαχθσι & contra stimulos calcitrant. Præsidio & robori fidelibus est ipsa doctrina sana, qua nituntur, quia est virtus ipsius Dei. Rom. I, 16. Fortes reddit, dum scientes facit & prudentes, qui in adversis divinam opem prospicere, & ea confidere norint. Ita fortis, ut Christi, quem tenent, robur, sit ipsorum robur. Per Christum olim Jacobus ita fortis & intrepidus reddebat, ut

ut cum Deo juxta & hominibus congrederetur, in utraque lucta de victoria indubius. Gen. XXXI. 28. Hoc ergo ut maxime πρέπει τῇ ὑγιανθσῃ διδασκαλίᾳ, ut, qui illam amplexi sunt, in Deo confidant, & induiti πνοπλίᾳ sacra, contra diabolum, mundum & mortem, cum Deus jubet, audacter depugnent. Qui hic trepidat & opem creatam circumspectat, immemor est eorum, quæ decent Christianum. Paulus, cum ab omnibus desereretur, Deum sciebat præsentem, ejusque præsidii fiducia perincebat. II. Tim. IV. 17.

PORISMA IX.

Fides, nixa doctrina salutari, omnes hominis facultates ad obedientiam adducit.

Doctrina vim habet ex Spiritu Sancto, fides ex Doctrina proinde fides divina virtute operatur. Vult autem Deus totum hominem sanctum, & sibi obtemperantem: Cum Paulus precatur: ο Θεὸς τῆς εἰρήνης ἀγιάσσα ψυχὰς ὁλόγελεῖς. καὶ ὅλον ἀληρὸν ψυχῶν Γό πνεῦμα, καὶ ἡ ψυχὴ, καὶ Γό σώμα ἀμέσως τηρηθεῖν. I. Thess. V. 23. Non intelligit aliter id fieri posse aut debere, quam per fidem in Christum: Neque enim id πρέπον, quod proprium est & dignum fidelibus, alio pacto præstari fas est. Doctrina lucem accedit in intellectu, ut hic non tantum cognoscat res divinas, sed & cooperante Spiritu Sancto, easdem secum agiter, conferat, componat, dividat, vera approbet, & falsa improbet. Eadem doctrina, ab intellectu recepta, expensa & approbata, voluntatem suaviter inclinat, ut illa jam sponte obsequi possit jussui divino, et appetitui insuper atque reliquis facultatibus imperet, ut ad nutum Dei se componant, & ipsa etiam membra σπλανκνισθῆνται Röm. VI. 19. arma justitiae fiant. Atque ita fides vim verbi salutarem recipit, & per totum hominem distribuit, ad eum sanctificandum.

PORISMA X.

Ministerium Verbi & difficultatis & periculi habet plurimum.

Difficultatem ostendunt negotia, quæ per illud expedienda, si ad nostras vires referantur. Sunt illa præconium, & vita, ut compendio dicam, quæ decéant salutarem doctrinam.